Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



magnitudinis eius non est finis. Generatio et generatio laudabit opera tua: et potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquent: et mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt: et iustitia tua exultabunt. Miserator et misericors dominus: patiens et multum misericors. Suavis dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius. Confiteantur tibi domine omnia opera tua: et sancti tui benedicant te. Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiae regni tui. Regnum tuum regnum omnium seculorum: et dominatio tua in omni generatione et generatione. Fidelis dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. Allevat dominus omnes qui corruunt: et erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant: et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: et implens omne animal benedictione. Iustus dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. Prope est dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet: et deprecationem eorum audiet: et salvos faciet eos. Custodit dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet. Laudationem domini loquitur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto eius in secula et in seculum seculi. Amen. Amen. Alleluia. Laudabo dominum in vita mea: psallam deo meo quamdiu fuero. Nolite confidere in principibus: in filiis hominum in quibus non est salus. Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius deus iacob adiutor eius: spes eius in domino deo ipsius qui fecit celum et terram mare et omnia quae in eis sunt. Qui custodit veritatem in seculum. Fiat iudicium iustum patientibus dat